

De dignoscendis peccatis

12
Peccatū dicitur culpa.

13
Peccatū dicitur reus.

14
Vana sensus non est aterna ex sua natura.

Pœna aterna per penitentiam efficitur temporalis, quomodo intelligitur purgatoriu quare fuit factum.

15
Peccatum dicitur iniquitas.

Peccatum dicitur delictum.

16
Peccatum proprie quādo dicitur.

17
Vniuersalis definitio peccati moralis, tam ex natura, quā ex causa.

Peccatum consistit in contraria.

Dicitur (culpa) quatenus procedit à voluntate libera, actus. n. moralis in tantum dicitur culpabilis, in quantum procedit ab agente libero; unde peccatum naturā cum sit ab agente non cognoscente, culpa dici non potest.

Dicitur (Reatus, & pœna) nam cum in peccato mortali sint duo mortus, scilicet auersio à Deo summo, & incommutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile, & terrenum, sibi correspondent duo mala: scilicet quatenus auertit se à Deo, consequitur reatum pœnæ æternæ. i. pœnæ damni, quæ est priuatio uisionis diuinæ, nam qui Deo terga uertit, eligendo magis amorem creaturæ inordinatum, quam amorem dei creatoris, & benefactoris nostri, meretur, vt priuetur eius aspectu, & fruitione: quæ pœna habet quandam rationem infinitatis ex termino, à quo elongatur. est enim elongatio quædam ab infinito bono, & qui sic elongatur, meretur perpetuo carere eius aspectu, & esse exclusus ab eius consortio: quatenus autem conuertit se ad creaturas, & bonum commutabile, consequitur quandam pœnam sensus, sic enim requirit iustitia Diuina, ut qui contra rationis debitum suę voluntati indulsit, iustum est, ut in aliquo puniatur.

Quæ pœna suapte natura non est æterna, & infinita, vt ait Scotus in 4. dist. 15. q. 1. ar. 4. nec intensiue, quo ad quantitatem, nec extensiue, quo ad temporis durationem, quia obiectum, per quod debetur, non est malum infinitum: sed in tantum homo puniatur æterno tempore, pro quanto remanet per semper Deo inimicus, & ab eius consortio exclusus, si autem amicitiam recuperet, aufertur reatus pœnæ æternæ, quæ correspondet auersioni, id est efficitur dignus eius aspectu & pœna sensus, quæ respondet conuersioni creaturæ commutatur in temporalem ad hunc sensum, vt sicut per æternam inimicitiam nunquam habuisset finem, per amicitiam postea reintegratam, remanet in suo naturali esse finito; quæ ideo remanet, ut detur locus iustitiæ. Quam pœnam solueie debet, vel hic per flagella, & tribulationes huius mundi, patienter tamen: impatientia. n. nihil operatur: vel in purgatorio, nam qui alterum offendit, quamuis amicitiam reconciliat ueniam petendo, remanet tamen debitor damni illati, & iniuriæ factæ; & ad hoc deseruit purgatorium.

Dicitur (Iniquitas) propter annexam malitiam, quam habet: & hoc modo est nomen speciale: nam intelligitur tantum pro peccatis, ex malitia factis.

Dicitur (Delictum) pro peccato primorum parentum; vel pro peccato originali cuiuscunque iuxta illud Psal. Delicta iuuentutis meæ. Vel dicitur delictum, pro habitu peccatore, ex multis actibus acquisito, dicimus enim quando aliquis est intemperatus, habere vitium intemperantiæ: quando est auarus, habere vitium auaritiæ, & similia. & non dicitur auarus per vnum actum auaritiæ, sed per multos actus, quando est habituatus in illa.

Dicitur finaliter (Peccatum) pro actu peccandi, si quando aliquis actualiter operatur quod malum est. puta fornicando, & istius ille fornicationis proprie peccatum dicitur, & similia, & hoc modo definitur hic.

Peccatum mortale est deordinatio actus humani contra præceptum Diuini, vel humanum, promulgatum, receptum, & non derogatum, æterna pœna munitum, vel contra aliquod pro tali habitum, vel contra salutem animæ proximi spretam, vel ob finem mortalem, vel in quo finis vltimus ponitur, quod ignorantia, surreptio, paruitas materiæ, vel dispensatio iusta, vel causa iusta, quæ ad legem humanam, ab eo non excusat.

Cuius actus deordinatio consistit, aut in facto, malum operando, aut in dicto blasphemias contra Deum, ac Sanctos dicendo, mendacia pernitiosa, infamias, falsa testimonia, & huiusmodi contra proximum narrando, & in cogitatu, delictando se in cogitatu maligno, aut lasciuo, malum desiderando, odio pro-